

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 701

**Auteur(s) :** Henri de Saint-Léger, Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1229, 17 janvier

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord entre les abbayes du Tréport et de Foucarmont, au sujet du droit de patronage de l'église d'Aubéguimont

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CXLIV, p. 161-163.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis et auditoris H[enricus] de Becco Herluini, de Belloprato J[oscelinus] et G[uido] de Augo abbates, Th[omas], decanus de Rothomago, et magister W. de Boteilla, canonicus Ebroicensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum querele verterentur inter abbatem et conventum Ulterioris Portus, ex una parte, et abbatem et conventum Fucardimontis, ex altera, super jure patronatus ecclesie de Albeignimont et super decimis essartorum situs in foresta Augi, in illo loco qui vocatur Albeignimont, in ministerio Sancti Leodegarii, et rebus aliis, coram iudicibus tam a domino papa Gregorio quam a domino Romano, tunc Apostolice Sedis legato, delegatis, tandem in nos partes compromiserunt, et per penam centum marcarum se ad invicem obligarunt quod observarent quicquid nos, super predictis querelis inter predictas partes motis, arbitrando vel amicabiliter componendo, duxeremus statuendum. Nos vero, forma compromissionis in nos facte observata taliter, de consensu partium, super predictis querelis inter predictas partes motis duximus statuendum quod abbas et conventus de Ulteriori Portu habebunt jus patronatus ecclesie de Albeignimont ; in decimis vero essartorum factorum in predicto loco, qui vocatur Albeignimont, habebunt abbas et conventus de Fucardimonte et abbas et conventus de Ulteriori Portu duas garbas decime per equales portiones inter se dividendas, et vicarius predicte ville terciam garbam cum altalagio. In omnibus autem locis aliis, in ministerio Sancti Leodegarii, ubicumque fient essarta, abbas et conventus de Ulteriori Portu habebunt medietatem decime, et abbas et conventus de Fucardimonte aliam medietatem, exceptis illis essartis que predicti monachi de Fucardimonte propriis laboribus et expensis excoluerunt vel de cetero excolunt. In loco autem illo, qui vocatur Feukereuscamp, qui est in ministerio Sancti Leodegarii, in quo abbas et conventus de Ulteriori Portu perceperant integre usque ad diem compositionis totam decimam, percipient de cetero abbas et conventus de Ulteriori Portu unam medietatem, et abbas et conventus de Fucardimonte aliam medietatem. De omnibus vero dampnis et expensis quas utraque pars sustinuit, ratione predictarum querelarum, seu etiam de fructibus perceptis in supradictis locis, non tenetur altera pars alteri respondere ; sed omnia dampna et expensas et fructus perceptos partes sibi ad invicem remiserunt, retenta nobis jurisdictione plenaria compellendi partem resilientem ab arbitrio ad observationem dicti arbitrii, per predictam penam centum marcarum ab utraque parte promissam. Et in hujus rei testimonium, presenti scripto sigilla

nostra apposuimus. Datum anno Domini M°. CC°. XX°. VIII°, die mercurii proxima post festum beati Hylarii,  
mense januario.